

Iarare docet observatio, & roborare omnes
corporis partes.

1117. Ex quibus (1110. ad 1117.) li-
quet, sanationem hujus mali (1089.) ab-
solutam esse in curatione bilis atrae (1097.
1100. 1101. 1103. 1106.), atque inde
peti debere non hanc modo, sed infinito-
rum, falso pro incurabilibus habitorum,
morborum.

MANIA.

1118. Si Melancholia (1089.) eousque
increscit, ut tanta accedat agi-
tatio liquidi cerebrofi, qua in furorem
agantur saevum, Mania vocatur.

1119. Quae gradu modo differt a Me-
lancholia tristi, hujus proles est, ex iis-
dem causis oritur, iisdem fere remedii cu-
rari solet.

1120. In quo morbo est ut plurimum
immensum robur muscularum, pervigi-
lium incredibile, tolerantia inediae & al-
goris mirabilis, imaginationes horrendae,
Lycanthropiae, Cynanthropiae, &c.

1121. Notandum vero, anatomica se-
ctione constitisse, horum cerebrum sic-
cum, durum, friabile, in suo cortice
flavum; vasa autem turgentia, varicosa,
atro, tenaci cruento distenta fuisse.

1122.

1122. Tum etiam in hoc morbo omnes excretiones fere cessasse pariter.

1123. Praecipitatio in mare, submersio in eo continuata, quamdiu ferri potest, princeps remedium est.

1124. Frustra tentatae per omnia remedia, varix, haemorrhoides, dysenteria, hydrocephalus, haemorrhagia magna spontanea, febres tertianae, quartanaeve accedentes, salutaria fuerunt.

1125. Hujus Maniae species oritur, postquam autumnali, valida, diurna, intermittente febre, corpus exhaustum, debilitatumque, tam per morbum, quam per iteratas missiones sanguinis, & evacuations alvi saepissime repetitas; tum etiam per eadem haec renovari hoc malum solet.

1126. Haec species solis reficientibus, repletibus, cardiacis, roborantibus, diu continuatis, sanatur. At, si evacuando tentatur, atrophiam, debilitatem, insuperabilem fatuitatem, infert.

1127. Mania vero enata in robustis, vegetis, floridae aetatis, plethoricis, calidis, sanatur iisdem mediis, ac species Epilepsiae (1081.); missione sanguinis iterata; purgatione forti, inter singulas interposita; dein, impetrata sedatione, opiatis, & cardiacis.

RA.